



Albertus Crantzius in Hamburga ciuitate Saxonix natus, atque in omni genere literarum educatus fuit. Erat enim felici ingenio & honestis moribus præditus. quam primum is literarum fundamenta percepisset, hinc inde Academi-
as uisitauit, & diligentem operam Iurisprudentiæ & Theologiæ adhibuit. Itaque sua eruditione factum ut Canonum & S. Theologiæ Doctor crearetur, Anno Christi circiter millesimo quadragesimo nonagesimo. Postea sese Hamburgum contulit, atque Theologiæ professor, & eius Collegij Decanus omnium consensu constitutus fuit. Eam functionem is magna dexteritate obiuit, atque ni-

hilominus diligentem operam literis nauauit. In primis autem à teneris annis Historiarum lectione delectabatur. Hinc factum ut multarum gentium annales & historias euoluens, suæ quoque gentis fortia facta describere conatus sit, idq; etiam magna laude perfecit. Scripsit enim Historias Saxonū, Vandalorum, Danorum, a deoq; omnium ferè Septentrionalium Germanorum, præterea aliquot episcopatum Saxonix initia, incrementa, & successus, quod opus Metropolim inscripsit, atque omnia ad annum millesimum quingentesimum continuauit.